

Baius inops? magnum documentum, ne patriam rem 110  
perdere quis velit.' a turpi meretricis amore  
cum deterreret: 'Scetani dissimilis sis.'  
ne sequerer moechas, concessa cum venere uti  
possem: 'deprensi non bella est fama Treboni'  
aiebat. 'sapiens, vitatu quidque petitu 115  
sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si  
traditum ab antiquis morem servare tuamque,  
dum custodis eges, vitam famamque tueri  
incolumem possum; simul ac duraverit aetas  
membra animumque tuum, nabis sine cortice.' sic me 120  
formabat puerum dictis et, sive iubebat,  
ut facerem quid: 'habes auctorem, quo facias hoc':  
unum ex iudicibus selectis obiciebat;  
sive vetabat: 'an hoc inhonestum et inutile factu  
necne sit addubites, flagret rumore malo cum 125  
hic atque ille?' avidos vicinum funus ut aegros  
exanimat mortisque metu sibi parcere cogit:  
sic teneros animos aliena opprobria saepe  
absterrent vitiis. ex hoc ego sanus ab illis,  
perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et quis 130  
ignoscas vitiis teneor; fortassis et istinc  
largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,  
consilium proprium: neque enim, cum lectulus aut me  
porticus excepit, desum mihi. 'rectius hoc est.'  
'hoc faciens vivam melius.' 'sic dulcis amicis 135  
occurram.' 'hoc quidam non belle: numquid ego illi